... Rex. Wiśniowiecki

... Bohd. Princep.

Temberski Stanislai: Serenitas Claromontana

[Temberski Stanisław]



SERE-
NITAS
CLA-
ROMON
TANA.

QVAM
SERENISSIMA
ELEONORA
HVNGARIÆ ET BOHEMIÆ PRINCIPISSA;

ArchiDucissa Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Tyrolis, Burgundiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, &c. nec non Mántuæ ac Montis Ferrati; Sanguinis Augusti Imperatorij; Honoris ac Decoris Hispanici; Austriacarum Virtutum Possestrix;
Poloniæ, Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ Orbi; Omine induxit Fausto.

DVM
SERENISSIMO
MICHAELI,
DEI GRATIA REGI POLONIÆ, MAGNO DVCI LITHVANIÆ;

Russiæ, Prussiæ; Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Seueriæ, Czerniechouiæ; nec non Wolyniæ, Podoliæ, Kiiouiæ, Podlachiæ, Wlodimiriæ; Trasmontanæ, Subsyluanæque, Roxolaniæ; &c. &c. Dynastæ ac Monarchæ.

AD
MONTEM CLARVM,

Sacratissimæ Virginis DEIPARÆ ICONE, per Serenissimum LADISLAVM Opolien: Ratiborien: Głogouiensem Ducem, dotatum: Splendido cum ingressu ac Comitatu, AVGVSTISSIMAE & SERENISSIMAE ELEONORÆ, ROMANI IMPERII IMPERATRICIS; tum PROCERVM Excellentissimorum, POLONOLITAVORVM applausu,

PRO SACRO MATRIMONIO VINCVLANDO EST DEDVCTA.

Submisso affectu, per STANISLAVM *à Sternberg* TEMBERSKI *V. I. D. Eccl. Cath. Premisl. Canonicum, Sacræ Regiæ Maiestatis Secretarium.*

COMMONSTRATA.

CRACOVIÆ, Apud STANISLAVM PIOTRKOWCZYK, S. R. M. Typ.

APPLAVSVS EPITHALAMICVS
AD AVSPICATISSIMAM
SERENITATIS CLAROMONTANÆ
L V C E M.

SCeptrorum Sublime Decus, Gentiſque Polonæ
Imperium, Gelido Subdita Regna IOVI!
REX MICHAEL, poſtquam Felicibus vndiq; Votis,
Cælitùs in Patrio cæpit habere Solo;
Inter delitias Populorum & gaudia mille
LECHICA: dum Feſtis plauſibus, arua ſonant;
Dum CORIBVTEI veneratur Sæcula Sceptri,
Deque ſuo REGEM Sanguine LECHVS amat;
Lætitijs hominum, magni quoque Sydera Cæli,
Coniungunt plauſus exhilarata ſuos.
Iamque Coronatis Suprema Palatia feſtis,
Lumina Mille ferunt, gaudia Mille cient;
Lechiacæ Stirpiſque Duces, Animæque Beatæ,
Atque IAGELLONICO Sanguine nata Cohors,
Ante pedes, Soliumque DEI procumbit, & vna
Voce, Melos Sacrum, pro MICHAELE canit;
Vtque perennet Opus, tantó molimine factum!
Viique diu Lechis, viuat Amica Domus;
Poſcit eam Thalamis, Geniali Fædere iungi,
Atque Maritalis Vincula ferre Thori.
Audijt Æternum Numen! Sponſamque Marito
Decreuit: Qualem Regia Forma decet.
AVSTRIA Cæſareis, dabit Hanc, Domus Inclyta Sceptris
Natam FERNANDO Cæſare, Numen ait;
Hæc Electa mihi, placet hanc regnare Polonis,
Dignior haud tanto eſt, vlla Marita thoro;
Religione; Fide: Formâ; Virtute; Pudore;
Ad Regale Decus nata: placenſque Mihi.
Hæc CORIBVTEÆ reddet longiſsima Stirpis
Nomina: Lechiaco dignaque corda Throno.
Sed Clari Montis Dilectæ MATRIS in Æde
Hec SPONSIS fieri Vincula Clara Volo.
Æternis inſcripta Cedris, Sententia poſtquam
Hæc fixa eſt? toto Gaudia cæpta Polo.

D Æthe-

Æthereæ Ductor MICHAEL Fortissimus Aulæ;
I licet: ad Plausus dat noua signa Nouos;
Diuaque consurgens, Magno de Nomine Sponsæ
ELEONORA, Sacro Fœdere Læta venit.
Ambo tenent, Rutili pulcherrima Symbola Vinclí,
Æternùm quod iam, Regia Corda ligat.
ANNVLVS hoc riguo qui latè fulget ab auro.
Milleque qui radijs, ex Adamante micat;
Ille Animos Virtute pari, Pietate, Fideque
Signat; & in medio pectore Pignus habet.
Felices Animæ; quibus hæc Sponsalia Cælum
Instituit: quibus hæc Gemmea Dona parat.
Iam SOL Lechiacis radiet fulgentior Oris,
Iam pullos *Aquilæ*, clariùs ille probet,
Iam Clari Montis Celsissima culmina plaudant!
Atque Serenata luce in Auge micent.
Fundat Amalteæ, pleno se copia Cornu;
Puniceas spargat Verna procella Rosas.
Roscidus in Terris, cum fructu Floreat Annus,
Lechia cum SPONSIS induat omne Decus.
Excubet ad Solium, magni Vigilantia Sceptri,
Communi latè prouideatque bono.
Sit pretium; sit Honos; sint præmia Fortibus ausis,
Vt Dulcis foueat Martia corda Cibus.
Hæc Syderum dum Vota sonant; iam Sydere Fausto,
Finibus in Patrijs, PAR Sociale stetit;
Hîc vbi VIRGINEIS, Mons. Clarus fulgurat Aris,
Hîc vbi Diuinum Lechia seruat Opus.
Augustas iunxêre Manus, Cæloque fauente
Æternæ pactum Fœdus AMICITIÆ.
Plaudite Lechiacæ fortissima pectora Gentis,
Austriadum Lechiæ plaudat Amica Domus
Ad Tantos Nexus: ad Fœdera Sanguinis Alti;
Turcicus, EN tandem comprimet ORA LEO.

SERENITAS CLAROMONTANA:

SACRARVM Intentionum directionem, Piorum Votorum Societatem, Cælum conclusit; SERENISSIMI NEOSPONSI: postquam Diuinâ dispositione Ordinante ac præueniente, (quæ sola consueuit locare Principes in Thronis sublimibus) magno cum fructu Sacræ ROMANÆ Religionis, Christianorumq; Regnorum solatio, est effectum; vt SERENISSIMVS MICHAEL REX POLONIÆ; SERENISSIMA ELEONORA, PRINCIPISSA & Archiducissa Austriæ, in Loco Sacro CLAROMONTANO, Sacri Matrimonij indissolubile Vinculum, Comitatu Selectissimo assistente, ingrederentur. Tam Festiuum Negotium effecit, Supremus Cæli Terræque Moderator; Prudentissimaque Consilia Legati Plenipotentiarij, Illusttissimi & Reuerendissimi ANDREÆ OLSZOWSKI Culmæ, ac Pomesaniæ Episcopi, Regni Poloniæ Procancellarij, feliciter promouit decernens, vt ad Magni Regum Regis nutum, Regales laudabiles Cogitationes, auspicatissimè concluderentur. En Ecce Orbis Vniuersus, Poloniam ac Austriam Vinculatam Sacro Nexu, iamque Fœdere perenni coniunctam, demiratur! ob quod Lunæ Scythicæ, ac Turcicæ; destinatæ mutationis cardines volutabunt, breui stupendum deliquium passuræ! iamque à Cælo, ac Fide Christiana proscriptæ; non lucebunt ampliùs in Asiaticis, Africanisque Oris; turpis extrusionis pænas numeraturæ, atq;

subi-

ſubituræ in Orientalis Imperij Sphæra, quod ereptum Chriſtianis, (non admodũ numeroſo latrocinio, ſupra Ducentorum Annorũ decurſum, cum annis ſexdecem;) poſſederunt. Quod enim EMANVELIS Paleologi Filio, CONSTANTINO: per latrocinium Mahometicum eſt ademptum; hoc per arma Pia Chriſtianæ Militiæ, certò reſtituetur; Ductu MICHAELIS Iagellonici ac Coributei Sanguinis, Abnepotis. Induet quoque SERENISSIMA ELEONORA Vultum ferocem, imitatura TOMIRIDEM; natantiumque in Sanguine Chriſtiano Vrſorum ac Luporum, quinimo truculentiſſimorum Leonum Aſiaticorum ora, occludet, ipſaſque fauces inſidioſas obſtruet Victorioſiſſima; vt per binum ſæculum, graſſantibus ac ferocientibus, æterna ruina, tandẽ accelereretur. Demittent pariter Ardeæ Ruſſicæ, ſuo malo alas! ipſeq; Ceraſtes Moſchicus, Veſpertilionis alis roboratus, deplumabitur! quandoquidem Auſtriaca, Lechicaque Ales, mutuo Vinculo connexa, Solem fauentem, irretortis oculis intuebuntur, currentiſque Planetæ Auſpicati, velociſſimum greſſum comitabuntur; Diuis Indigetibus, Polono, Germanicoque Exercitui, fauturis. Neque erratica Aſtra, aut Cometici terrores, lætitiam communem confundent! ſiquidem Varſauia nuper Tres Soles conſpexit; totidemq; Pyramides ignitas, Cracouia adorauit, ac obſeruauit; Fauſtitatem Regnis, ac Principibus Chriſtianis, prænunciantes. Sacrum equidem Matrimoniale Vinculum, in Loco Sacratiſſimæ Virginis Częſtochouianæ, ad Aram Maieſtatis Diuinæ emiſſum, ac Pontificali Benedictione confirmatum; Lacte PIETATIS nutrietur & fœcundabitur: ad quod etiam Subditi obſtinati, recurrent; Aquilaſque Sanguinis Imperatorij, tum CORIBVTEAS, Sacro Fœdere iunctas, Martialibus

laba-

labaris applicatas, vltrò ſequentur; poſtquam aduertent Aurum Orientale, Germano Polono ferro, expoliri; prodibitque Sæculum, non æreum, nec lapideum; ſed Aureum: MICHAELIS ET ELEONORÆ Felicitati, reſponſurum.

Didicerunt quippe Martiæ Alites, Equiteſque Alemani, Poloni, Lithuani; durum ac inobediens metallum ferro polire; ipſique ſilices duriſſimi, elicient ſcintillas, imperante chalybe. Et meritò. In SERENISSIMORVM namque NEOSPONSORVM Scutis, non Columbæ Auguſtanæ, non Aſiatici Vrſi, non Septentrionales Lupi, reſident: verùm Generoſiſſimæ Aquilæ! quæ in Martij Campi Libanis, Nidum Antiquiſſimum collocârunt, vltra Quadringentos Annos perennantem. Iſte equidem Sacer Nexus Perauguſti Sanguinis, Cæleſtibus Suffragijs ac Votis comprobatur; quando SERENISSIMORVM NEOSPONSORVM Dexteræ, in Claro ac Sacro Monte, Maieſtati *Virginis Sacratiſsimæ* dicato; Vinculo Sacri Matrimonij combinatæ, conſpiciuntur. Eædem Dexteræ Perauguſtæ, in altum Maieſtatis, Dignitatis, Felicitatis, Faſtigium efferentur! quùm in Eminenti ac Excellenti Monte Sacro, SPES Regni, ac Ducatuum Magnorum, Summam obtinuit Maieſtatem, firmamque iam iam locauit Sedem; & Votorum Sacrorum, pacatiſſimum inſculpſit Domicilium. Quid ſi tanta in Dexteris ſubarratis SERENISSIMORVM NEOSPONSORVM per Benedictionem Epiſcopalem impertitam, regnat Maieſtas! quam ſibi Oculus Diuinus, ac Deiparæ Virginis, non æſtimabit Dignitatem! qui mille titulis ac beneficijs, ſupremam Venerationis occupauit Arcem, exiguâ in mole, latiſſimum concludens Orbem. Primi prælijs, Oculi vincuntur; primi & à ſublimi Maieſtate

declinant. Magna lucta animorum ſequitur; dum Oculi ardent! aut odijs clandeſtinis, aut hoſtilitatibus, latentibus ſeiunguntur. Dij dent ſaniora ac meliora conſilia illis; qui inuido ringuntur aſpectu. Habent ſua arma, Oculi! habent Dexteræ! habent & Animi! habent denique & conatus Pij ad *Religionis* Chriſtianæ propugnationem! quam indeſinenter Auſtriacæ, Polonæque protexerunt Aquilæ.

Spondent ſemper excelſa Aquilæ, in ortu volatuq; ſuo! naſcentemq; Felicitatem in Europa, LECHI ac RVDOLPHI, ſpecioſam & ſpatioſam comprobauerunt. Tam Fortunatum in RVDOLPHO Auſtriaco, Seruum ſortita eſt RELIGIO! qui nec Auguſto pepercit Laticlauio; nec ille ruentes Cælorum faſtidiebat imbres; quia noui Athlantis, nouas Cæli non didicit timere minas ac iniurias. Exuebat Princeps vltrò dignitatem ſuam! vt indueret RELIGIONEM. Aſt contectus Deus; contegentes, in Auguſtiſſimo Solio collocauit, Principes. Perſimilem RELIGIONEM, SERENISSIMVS MICHAEL in Iuuentute imitatus eſt! ob quam, à DEO Operum Bonorum, Benigno Retributore, in Solio Regali feliciter cernitur collocatus. Tali Zelo Sacræ Religionis, ardebat RVDOLPHVS I. qui Sceptrum Auguſtiſſimum Romani Imperij, Domui Inclytæ Auſtriacæ, Anno 1273. intulit Auguſtiſſimum; illudque Zeloſis Succeſſoribus tradidit firmiter tenendum, ad Fidei Chriſtianæ defenſionem: nimirum ALBERTO I. Anno 1298. FREDERICO III. Anno 1315. ALBERTO II. Anno 1438. FREDERICO IV. Anno 1440. qui Coniunctione Sanguinis, Domui Iagellonicæ ac Coributeæ, amiciſſimo affectu erat cognatus. MAXIMILIANO I. Anno 1459. CAROLO V. anno 1500. qui Sereniſſimorum Regum Hiſpaniarum PHILIPPORVM, Radix

auſpi-

auſpicatiſſima extitit. FERDINANDO I. Anno 1558. MAXIMILIANO II. Anno 1564. RVDOLPHO II. Anno 1576. MATTHIÆ I. Anno 1613. FERDINANDO II. Anno 1619. FERDINANDO III. Anno 1637. LEOPOLDO I. qui Anno 1658. Sereniſſimis Electoribus vnanimiter conſentientibus, Romani Imperij ac Occidentalis Gubernium apprehendit: Vtinam diuturno Annorum decurſu, feliciter tractandum.

Tantis ac talibus Imperatoribus Auſtriacis, PIETAS ac RELIGIO & reuixit, & reſplenduit; quæ in Hungaria, Bohemia, Germania, Sileſia, notabiliter vacillabat: prout Eccleſiæ Chriſtianæ, Ciuitates, ac Oppida, idipſum palam loquuntur? quanquam Zelus Auſtriacus, plurimas Oras ab Huſſitico, Caluiniſtico, Lutheranicoque furore, ac Anabaptiſtarum toxico impio, vindicauit: quas & SERENISSIMA ELEONORA, circa progreſſum ſuum in Poloniam; eſt contemplata, magnis ruinis protritas & incineratas: ſuaſu illius Eminentiſſimi CARDINALIS, FRANCISCI Ditriſtain, Olomucenſis Epiſcopi, qui Marchionatum Morauiæ, à labe Sectariorum diuerſorum; etiam admotis proprijs Cohortibus, magno cum emolumento Romanæ Fidei, liberauit.

Efficiat DEVS Opt. Max. vt ad Auſpicatum Ingreſſum, SERENISSIMÆ ELEONORÆ, ad eas Oras Polonicas; diuturnamque ſuæ Maieſtatis commorationem, Leoninæ Sectariorum ac Schiſmaticorum fauces contuſæ ac confractæ, tandem DEVM, Vnum; Verum; ac Trinum agnoſcentes, mutuo ac vnanimi Chriſtiano Ore, eundem laudare incipiant, atque aſſueſcant. Agnoſcent Superi feruentem Fidem Romanam; ſubleuabuntque ardentia Vota! dummodo MICHAELIS

ac ELEONORÆ Pietas, ac Religiosa Supremi Numinis obseruantia, firmiter retineatur: idque ab Optimis Ciuibus, ac Regnicolis, illis antiquis moribus, ac sinceris viribus Polonorum. An non luculenter præluxit PIETATE, CÆCILIA seu Cimbargea Ducissa Mazouiæ! quæ ERNESTO Archiduci Austriæ, in Consortium Vitæ elocata; plurimas Ecclesias dotauit, & ab impijs temeratoribus, vindicauit. An non præluxêre Religionis Zelo, CONSTANTIA, & ANNA, MAGNI SIGISSMVNDI III. imitatæ Cultum ac Venerationem, Dei Præpotentis; Virginis Deiparæ; tum Sanctorum Regni Patronorum; erga quos stupendo ferebantur affectu; dum Diuis Tutelaribus, preciosa donaria ac Vasa Sacra, largiebantur. An non præluxit ardenti Pietate, & admiranda Humilitate CÆCILIA RENATA, Consors VLADISLAI IV. Fortunatissimi Regis, Augustissima; quæ Lithuanica Templa Augusta, precioso ornauit amictu! inopes ac miserabiles personas, argenteis ac aureis nummis, copiosissimè subleuans. An non præluxit simili Religione LVDOVICA MARIA Mantuæ, Montisferrati, Niuerniæ Ducissa, ac Regina Poloniæ: quæ Plebi pestifera lue tabescenti; Militibus vario casu bellorum afflictis; Virginibus dote carentibus; Viduis rem domesticam difficulter retinentibus; mira Pietatis, ac Misericordiæ effuderat argumenta. Præterire non possum Superioris æui ANNAM, VLADISLAI Iagellonici Filiam, FERDINANDO I. Imperatori ad Consortium Vitæ traditam! quæ Hungariæ Bohemiæque Regnis, in casus formidabiles ob inconstantiam prauæ Religionis proiectis, plurimùm profuit! ne impio ausu Sectariorum, à recto tramite Romanæ Fidei, deflecterent. Vnde autem iste Fons, Religionis arcto affectu propagatæ, ad Serenissimas

Matro-

Matronas promanauit! profectò etiam maleuolæ mentes inuidorum adſeuerabunt, Veritati genuinæ ſubſcribentes: profluxiſſe eum Fontem, de Stirpe ac Propagine, Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ. Feliciſſimus nempe Auſtriacus Fluuius, magno temporum numero fluens, Gemmas ac Vniones Romanæ Fidei adauxit; aureamque arenam, Sanguine Chriſtianorum Exercituum emundatam, multiplicauit. Quam ob rem Victorioſiſſimus Gladius Auſtriacus, ad Suprema Iura Maieſtatis poſſidenda euectus eſt; quo Romani Imperij, ac Regnorum Chriſtianorum, Bohemiæ, Hungariæ, Auſtriæ, Morauiæ, Sileſiæ, audaciſſimi inuaſores, ambitioſique oſores Tiaræ Cæſareæ, magnis cladibus, ſunt conſternati. Nec iniuria! Principibus me hercle, pro Sacra Religione decertantibus; præſentiſſima cælitùs demittuntur auxilia; atque in caſibus iam fermè deſperatis, armatiſſima prouidentur ſubſidia. Alta ac indubitata Spes, Perauguſtæ Domui Auſtriacæ, aſſecuratiuè oblata eſt; ipſo Domino Crucifixo adſeuerante; quando in illo Caluiniſtici furoris, ac ſectariorum fermè ruſtico tumultu, Labia CHRISTI efformauerunt illa conſolatoria, FERDINANDO II. pias preces protunc effundenti, (ne infernale bellum, in populum Chriſtianum efferueſceret) auſpicata Verba! *Non te deſeram Ferdinande; non te deſeram.* Neque eum Spes eluſit, atque in Summis periculis verſantem fefellit, aut deſeruit? Nam ipſe Præpotens Armorum ſuppeditator, Militem Polonum, à Victoria parta de Moſchis, Ductu SIGISMVNDI III. deſcendentem; trophæis Moſchicis nitentem; Celeritate armorum tractandorum florentem; pernicitate equorum volantem; ad Imperatoria Caſtra augenda, ſubmiſit: cuius Militiæ obiectu, Hæreticorum proteruitas glorioſiſſi-

mè attrita, memorabiles hucusque decantat Nænias. Non absimilem Tutelam, SACRATISSIMA VIRGO Claromontana, Vobis SERENISSIMIS NEOSPONSIS pollicetur, in eo Sacri Nexus gradu, ac Vertice Częstochouiano; talibus Verbis, Vestrum Vinculum Sacrum, approbans! *Non deseram MICHAELEM, atque ELEONORAM.* Obloquatur demens lingua, quæ cupit; resideat in pectore virus; obtrudat Moschicam, Tauricanamque coniunctionem! Boum, & Taurorum, imprudens ac impudens est persuasio, talia suadendi, impediendi; qualibus perturbatur, Religio Romana; ipsæque Regiones Christianæ, tumultuantur. Protrudat Pennam ille Epistolicus Scriba; qui Maiestatis ac Veritatis oppugnauit Merita Gloriosissima, præterita, (& quod mirabiliùs) etiam futura. Ignorat ille euaginare Macheram; edoctus proijcere futilem Stylum; adulaturus Ardeis: ferreo stylo Lechico, vilipenso. Quare abiecto maleuolorum sensu; ad felicem euentum, Sacri Connubij Matrimonialis, recurrendum est; idque ad Sacram DEIPARÆ VIRGINIS Mensam; cui Diuus *Lucas*, viua lineamenta inscripsit, durantibus hucusque coloribus adhibitis! coram cuius Maiestate, meritò procumbendum est Vniuersis, quanquam vix acceptis Orationibus, Diuinæ Maiestati supplicaturis; vt Sacris Maiestatibus, SERENISSIMORVM NEOSPONSORVM, non tantum Magni Antistitis Sacra dextera; sed ipsa DEI Præpotentis Dextera beneficentissima, effundat largam Benedictionem; atque Mutuam NEOSPONSORVM Vitam, diuturnis solatijs promoueat; ad Fidei Christianæ augmentum, Regnorumque ac Ducatuum Florentissimorum euidentissimum incrementum. Adstat isti Vinculo Sacro, Diuus MICHAEL; Legionum Cælestium

Archi-

Archidux; Aſſiſtet DIVA ELEONORA, Martyrij ac Virginitatis, Coronâ Duplici, Fulgens; Serenitatibus Veſtris Lumen addens: Maieſtatemq́; Diuinam Sacris precibus flagitans; vt Serenitas Claromontana, claros dies, ac tempora Serena, in Maieſtatibus Veſtris, ad plurimorum annorum ſeriem producendam, efficiat.

Non igitur Mons Clarus, ac Sacer Częſtochouianus, inuido greſſu viſitetur! non tetrico oculo, toruo aſpectu, aut fronte caperatâ excipiatur; in tanta Communi Lætitia! non ad gradus inauſpicatos, Anni præſentis 1670. decurſus torqueatur! quùm Procerũ ac Senatorum illuſtria Laticlauia, plenum addunt Splendorem, atque Serenitatem, in Maieſtatibus Vinculatis conſpicuam; de quorum lineamentis Viuis; grati egrediuntur colores, Serenantiſque Phœbi, fulgidi radij, euibrant Symbola feſtiua, perpetuæ Coniunctionis, Inclytæ Auſtriæ, cum Campis Lechicis. En euibrata Regalis Honoris reuerentia, Splendet! Pia Grauitas, relucet! in Vultib⁹ autem SERENISSIMORVM NEOSPONSORVM renitet, Verecundus aſſenſus; Plenum Pudoris alloquium; altam Spem & Felicitatem præſignans. Quapropter ob lætum prouentum Triticeum, memoretur Gargara! ob pingue Armentum, celebretur Meuania! Monte Gaurano, cenſeatur Campania! Amne Pactolo, efferatur ad Sydera Lydia! Hæc ſingula, vni Poloniæ cum Auſtria, debitos teſtantur affectus; & quidquid vbique laudatur, totum id, vtraque complectuntur Dominia. Heroum fœcunda Nutrix *LECHIA!* nunquã anguſtum diuidit Nomen Filijs: nec ita compendioſi ſunt AVSTRIÆ anguli; in quibus Heroicarum Virtutũ nutritur Sanguis, magno commodo Veræ Chriſtianæ Religionis. Cernuntur in Florentiſſimis iſtis Dominijs, Ciues Eximij; etiam iam ag-

gestis molibus, fatis ita persuadentibus operti, excubare: pro illorum defensione, in tumulis quanquam sepulti, in Successoribus ac Heredibus viuere; qui Virtutum ac Heroicorum factorum imagines genuinas, præseferunt. Reperiuntur *SCIPIONES:* qui contra Hannibalem; & fossâ, & Vallum, Romanis extiterunt; toties Romanam Fidem propugnaturi? quoties inimica manus armata impietate, in arenam ac Scenam Martiam prodibit. Spectantur cum admiratione Orbis, *MVTII:* non distillantes in foculo dexteras, sed in Sanguine Hostium natantes, gestantes. Neque desunt *CVRTII:* Patriæ deuotissimi! quibus suus dulcior tumulus; & funesti Manes gloriosi reputantur: modò Patriæ viueret Salus. Mirabitur Europa, in Polono Austriacoque Sanguine, Naturam nunquam nouercatam fuisse; quam, ignaræ Veri Numinis Gentes, terribilibus cladibus attritæ, gemebundæ suspexerunt. Videbitis igitur SERENISSIMI NEOSPONSI: fulminibus impetitam, Moschicam Aquilam! quæ Vtrumque sub SIGISMVNDO III. tum VLADISLAO IV. Aquilæ Lechicæ, ac Equiti Litauico fortiter pugnanti; tumidum Caput deposuit. Ceterum Lechicus Aquilæ Oculus, Equitisq; Lithuanici vngulæ, nunquam vulneribus afficiunt hostes; prætterquam magna iniuriâ exuperante, lacessitæ. Securo itaque Tramite progredere, ô Polonicorum Dominiorum Gubernatrix, SERENISSIMA ELEONORA; faustis breui Antistitum dexteris, Coronanda? Iam lati Tibi assurgunt Lechici, Litauicique Campi? Erecti ad Regionem Aëris secundam, applaudunt Montes! Sacer iste Mons Clarus, VIRGINIS AVGVSTISSIMÆ Icone Sacrâ florens; licet Februo tempore, Lilia ac Rosas, etiam Violas suaui odore

fra-

fragrantes, effundit atq; spargit. Muta etiam Paulina, Saxa Claromontana, miram induunt Facundiam. Ipsique lapides ac Lateres, quibus Suecici, Hungaricique, cesserunt Leones; Tuâ animati præsentia, Vota auspicata, perorant. Redibunt Sæcula aurea, meliori Sorte? cui cum immatura tradidit Imperium ætas; auream Regno, cum SERENISSIMO MICHAELE ætatem, comparabit. Florebunt Campi Lechici, nouâ Syderum conciliatorum Serenitate? & sub SERENISSIMORVM NEOSPONSORVM Felicibus Auspicijs, proferent Glebæ rurenses, vberes aristas. Progredere inquam tuto gressu SERENISSIMA ELEONORA; fige vestigia in Regni penetralibus; quæ ANNAM, CONSTANTIAM, CÆCILIAM RENATAM, Sanguinis Imperatorij Gemmas pretiosas, affectu effusissimo, receperant. Considera Lechicarum Gentium Gloriam! Penetra animos? Regnabis secura: & licet in Cælesti Circulo, bella præsignantur; cum quo Terrestris Circulus, conuenit semper; resque inferiores, Ordinationem à Stellis, possident; tamen Austriacis Lechicisque Aquilis, Victoriæ Certæ, assurgent: ipsasque Orientales plagas, possidebunt. Dulcem conspicies rerum Christianarum Metamorphosim; debitamque videbis Libertatem! quia Polona, Litauaque Natio, Spontè optant Magnis seruire Regibus: vt liberiore exultent animo Ciues. Agnosces inclinationem Verorum Subditorum; qui non pendunt inuiti quidquam; nisi Solum, Amoris tributum. Negant sæpiùs suam sibi Vitam; vt de sua ætate, Regibus sæcula adaugeant. Manus dant discrimini; vt per suas cicatrices, Regibus adnectant Felicitatem. Frequentiùs detrahunt domestico splendori; vt Gloriosiùs æstimetur

 Toga,

Toga, Sagumque. Viue ergò Auguſta Dextera E-LEONORÆ perennatura; iam Sacræ MICHAELIS REGIÆ Dexteræ, coniuncta! cui Regnicolæ nuper, mutua Animorum Suffragia, porrexerunt. En retinent, Diuus MICHAEL ac DIVA ELEONORA, Annulum Connubialem? in quo inſculpta hæret Animorum Inclytorum, Vnio: quam promittunt Vigilantiæ, ac Fortitudinis, Symbola. Regnabit Veſter SERENISSIMI NEOSPONSI Perauguſtus Sanguis; quouſque Reges Lechia venerabitur: Auſtriæque ac Mantuæ, Fluuius non euacuabitur. Eiusmodi Oraculo ſubſcribent, iam Faſtis Cæleſtibus inſcripti, Maieſtatum Veſtrarum Diui Tutelares ac Patroni! quod vt fauſtè eueniat; pleniſſimo affectu Orbis Lechicus, cum incorporatis Inclytis, Prouincijs, ac Gentibus; præſentique Procerum aſſiſtentia frequentiſſimâ: optat atque apprecatur: vt Regnum Poloniæ, annexorumque Ducatuum Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, fauſta olim Vnio; Sacro Nexu SERENISSIMORVM NEOSPONSORVM, tandem in Animis, Robore, Armis defenſiuis confirmetur, ac renouetur.

